



Nr. 24.

21

PROGRAMMA  
DE  
**PHYSICA CUM MEDICINA  
CONJUNGENDA**

QVO  
**DOMINOS STUDIOSOS**

NATALIUM DECORE AC ERUDITIONIS LAUDE  
ORNATISSIMOS

AD LECTIOINES SUAS  
HOC SEMESTRI SPATIO HABENDAS

INVITAT

**D. PETRUS GERIKE**

MEDICINÆ ET PHILOSOPHIÆ  
PROFESSOR PUBLICUS

**D. VIII. OCTOBR. A. O. R. 1515 CCXXIV.**

---

HALAE MAGDEBURGICAE,  
LITTERIS IOAN. FRID. KROTTENDORFFII, ACAD. TYPOGR.

Q. D. B. V.



## Uamvis haut omnino

verisimile videri possit, quod Celsus in præfatione libri de Medicina primi affirmat, morborum curationem & rerum naturæ contemplationem sub iisdem autoribus natam esse; atque historiarum etiam monumenta satis evidenter doceant,

medendi artem longe ante Philosophorum tempora passim a multis tentatam, & deinceps alibi, quam in illorum gymnasii diligentius ac melius excultam esse: illud tamen apparet, ex quo tempore Philosophia naturalis studium paulo magis effloruit, tam semper præclare de ejus usu in arte medica sensisse huius Professores, ut truncam hanc & debilem sine illa dictitantes, si non pari utramque disciplinam, at certe non parva priorem illam industria agitaverint. Eudem sibi insistendum viæ existimasse, qui post renata literarum studia apud nos & proximas nobis gentes Medicinam exercuerunt, cum scripta a multis edita indicant, tum illud diuturna consuetudine receptum, quod in Anglia & nostra etiam Germania Medicorum Physicorum titulo insigniri soleant: sive eum sua sponte, sive ab aliis impositum, sibi ab initio vendicaverint. Quo illud iure fecerint plurimi & adhuc faciant, aut quam prospere illud Philosophia naturalis & Medicinæ connubium olim huic cesserit, dicendi hic non est locus: et si ego, qui magnopere de eo gratulandum Medicinæ non puto, nihil tamen prorsus inde hanc traxisse commodi, aut infelici omnino fidere institutum illud fuisse, affirmare nolle. Minor potius seculi nostri mores, & mutationem, quam recentiora tempora, sicuti multis aliis in rebus, ita in hac quoque, quo fide-re, incertum, attulerunt. Postquam enim iis disciplina naturalis rectius, quam olim exculta, & ingenti novorum inventorum multitudine decorata in omnium fere animis sui admirationem excitare, ac præstantissima ingenia in amorem noya hac sua pulchritudine di-

vitiis.

## CUM MEDICINA CONJUNGENDA.

3

vitiisque suis pertrahere coepit; sui tedium, a quibus constanter adhuc & præcipue culta erat, Medicis movit, ut non modo indignam eam nunc multi ex his statuant, in qua operam suam & industriam collocent, sed tanto etiam in arte ipsa præclarius versati cupiant videri, quanto rerum physicarum magis rudes & ignari deprehendantur. Non equidem fane, an rerum naturæ contemplatio ad artem pertineat, recens nata & agitata quæstio est. Fuisse enim jam vetutioribus temporibus, qui id negare auderent, si alia nos ex antiquitate testimonia desicerent, supra allegata elegansissima Celsi præfatio sufficere posset; ubi quibus argumentis veteres Dogmatici, Empirici ac Methodici, quam hac de re quivis foverunt sententiam, contra dissentientes tueri laboraverint, breviter, at perspicue exposuit. Sed uti in Empiricorum, de Methodicis enim non opus est dicere, cum nemo hodie nomen suum aperte in hac secta profiteatur, rationibus, quantumlibet speciosis, ea vis non inest, ut Philosophiæ naturalis studium in Medicina minus esse necessarium evincant: ita tamen justa rem lance astimantibus facile patet, non inepte contra adversam sibi partem, quæ rationalem Medicinam profitebatur, eos pugnavisse. Neque etiam ad Dogmaticos conturban-  
dos magna arte opus erat; quandiu his nihil egregii e suppellecili sua depromere licebat, quo utilitatem, quam istud Philosophiæ naturalis studium Medicinæ præstare tam contentiose affirmabant, ritte probarent. Quam enim assertis suis fidem facerent allegatione vocabulorum sentiu carentium & inanum speculationum, quibus veterum Physica unice fere absolvebatur. Quare etiam rectissime jam statuit Hippocrates lib. de Vet. Medic. §. 30. edit. Linden. ea, quæ Sophists quibusdam aut Medicis de natura dicta sint aut scripta, minus medicæ arti convenire, quam pictoriae. Qui ergo? num quæstionum physicarum tractatio à Medicina separanda est? Ita vero multi censem, qui ea, quæ in sui temporis Sophists recte dixit Hippocrates, queve olim ab Empiricis contra Dogmaticos non pessimè disputata sunt, ne prorsus dubites, quam pulchre in ea, quam contemnunt, scientia versati sint, hodieque, tanquam diuturnitate temporis nondum omnem amissilente vim, usurpare non eru-  
bescunt.

A 2

bescunt. Alii, eis Medico studium aliquod in rerum naturæ contemplatione ponendum arbitrentur, non tamen præter ornamentum inde quicquam illi accedere perhibent, in ipsam artem commodi a liquid redundare negant. Facile intelligitis, Nobilissimi Domini Studiosi, Vos in primis, qui arti medica labores Vestros consecravistis, non de re parvi momenti disceptationem esse, ac multum referre, quid ei veri falsique insit, probe exploratum aliquem perspectumque habere, antequam in isto itinere per Medicinæ campum longius sibi procedendum statuat. Si enim inanæ & incertæ tantummodo speculations in Physica traduntur, aut ad medicam artem ea nil pertinet, recte suis rebus sine dubio consulunt, qui missis illis ambagibus quam maturime ad Aesculapii templum contendunt: si præter ornamentum nihil inde sperare licet, hac saltim tempestate irritum multis laborem suscipere viderer, a tam vili & incongruente argumento commendationem pulcherrimæ quamvis scientiæ petiturus: sin, quæ celeberrimorum olim & nostro ævo Medicorum sententia est, præclaram arti lucem & utilitatem illa præbet, neque illa carere Medicus prorsus potest, qui omni ex parte officio suo satisfacere cupit; omni sana cura, opera & contentione anitendum Vobis ultra existimabitis, ut præstantissimas veritates, quas recentior Physica pandit, in Vestrum & artis ornamentum & usum colligatis. Sed mihi jam non est constitutum, ea omnia conquirere, quibus, quam utile & necessarium illud Physics & Medicinæ sit connubium, evincere liceret. Latissime enim hoc argumentum patet, & magis commode lectionibus ipsis Medicis seponitur. In præsenti ex amplissimo, qui se mihi offert campo, pauca tantum quædam decerpam, aut potius brevem totius rei ideam sistam. Si omne Medicu officium iis modo limitibus clauderetur, ut præter sanitatis conservationem & morborum curationem nil quicquam præstare deberet: nunquam tamen is partes suas, nisi rerum naturalium scientia probe excutus, recte & decenter explorare posset. Duo enim in primis in eo, qui cum ratione in tam gravibus negotiis versari cupit, requiruntur: alterum, ut corporis humani, tum integri, tum labe quadam affecti, rationes exploratas habeat; alterum

### CUM MEDICINA CONJUNGENDA.

rum, ut non modo earum rerum, quarum in quolibet ejus statu u-  
sus esse aliquis potest, sed quæcunque mutationem in eo quandam  
producere valent, naturam & quam in illud agendi vim habeant,  
quam fieri potest, accuratissime intelligat. Jam quemadmodum  
ea, quæ de naturâ, sanitate & morbis, in quarum rerum explicati-  
one corporis humani theorî versatur, veteres Sophistæ & Medici  
quidam disputarunt, arti pictoriæ, quam medicæ, vel potius Poëta-  
rum fabulis rectius convenire omnino existimanda sunt; atque ego  
illi, siquidem arti rite facienda inservire utiliter debeat, præcipuum  
ab observatione eorum, quæ in sanitate & morbis accidunt, peten-  
dum præsidium semper judicavi: ita, si quis Anatomicæ & Physicæ  
solidioris luminibus caret, necquicquam cum de vita hominis &  
sanitate ratiocinari, morborum vero explicationem mancam, mu-  
tilam & irritam afferre necesse est. Possem, si cui hæc assertio du-  
bia videretur, eum alegare ad scripta veterum Medicorum, qui i-  
stis luminibus destituti, vel saltim non satis instructi, innumeris fi-  
gmentis artem olim deturparunt, ut collatis illis cum recentiorum  
theorii, quantum ab utrâque illa disciplina incrementum Medicin-  
æ accesserit, ac nunc earum ope plurima in hac sint emendata, i-  
pse reputaret; aut, si acrius etiam infisteret, ab eo requirere, ut o-  
stendere mihi vellet theoriam aliquam, sive olim sive noviter con-  
scriptam, cujus sincerissima pars non vel Anatomicorum vel Physi-  
corum inventis nitatur, reliqua vero, quæ præter observations ac-  
cessit, non sine ullo Medicinæ detimento abesse queat: sed quia  
Vobis, Nobilissimi Philiatri, sive nuper Medicinæ campum ingressi  
estis, vel adhuc ingressuri, sub ipsum curriculi initium labor iste  
commendari non debet, sive aliquos jam progressus fecistis, fusi-  
piendus tamen is forte non videtur; sententiæ meæ rationes, a re  
ipso desumptæ hic a me allegandæ sunt. Cum corporis humani  
conservatio proposita Medico sit, omnis vero sanitatis & morborum  
ratio in ejus vel integritate vel labore aliqua consistat, & quæcunque  
vel vitam ejus conservant, vel morbis producendis idonea sunt, vel  
hinc profligandis apta, in illud proxime, imo solum, agendi vim ha-  
beant: sequitur non modo theoriam corporis humani Medico ne-

cessariam, sed etiam omnia in illa ex corporis natura explicanda es-  
se. Pauca mihi nunc de corporis artificio dicenda sunt, ut, quæ  
sit Physicæ utilitas, appareat. Deprehenduntur ergo in eo primo  
partes solidæ, deinceps in his contenta varii generis liquida. In  
solidis considerari debent vel admiranda illa structura, quæ una cum  
liquidis, in suo quibusvis receptaculo latentibus, compositum illud,  
quod corpus humanum vocamus, constituit, vel partium minimarum,  
ex quibus majores conflatae sunt, natura & compositio. Illi-  
us nobis ob oculos ponere artificium præclaris haec tenus, neque iis  
infelicibus ausibus aggressi sunt Anatomici, eoque fine antiquissimis  
jam temporibus Philolophi Anatomiā sibi vendicaverunt. Liqui-  
dorum vero & particularum, ex quibus fibre & vasa coagmentata  
sunt, diversitatē cognoscendæ non tam Chymia, quam universa Phy-  
sica egregiam operam commodavit, atque huic ipsi, quæcumque  
non modo de singularum partium, seu solidarum, seu fluidarum, sed  
etiam de universi corporis viribus, usu & effectibus nobis constant,  
accepta referre merito debemus. Videtis, quam caulam, & num  
hanc satis gravem habuerint Medici rationalem Medicinam professi-  
tur & disciplinam naturalem & Anatomiā, qua ejus pars est, cum  
arte sua conjungendas existimaverint. Sed quod in illa in genero  
recte reprehenderunt recentiores Philosophi, materia solum contem-  
platione eam absolutam antea esse, motuum vero, in quibus omnis  
materiæ actio consistit, regulas proflus neglectas; id sibi tanto magis  
in corporis nostri scientia emendandum statuerunt Medici, quan-  
to clarius perspicerunt, omnem mirabilem & varium illum appa-  
ratum, qui in corpore nostro conspicitur, non alium in finem a summo  
Conditore productum esse, quam ut variis hisce motibus, quo  
in eo constanter celebrari observamus, & in quibus omnis vita ra-  
tio consistit, perficiendis machina idonea redderetur, & sine motu  
um doctrina structuræ, virium, effectuum & usuum explicationem  
imperfectam esse, adeoque sine illa doctrinam de natura corporis, de  
sanitate & morbis, irritam & mancam relinquī. Fuit hæc ratio, qua-  
re Mechanicam quoque in Medicinam recentissimis temporibus in-  
troducerent nonnulli præstantissimi in arte Viri, & quare ex princi-  
pīis

CUM MEDICINA CONJUNGENDA.

7

piis mechanicis non minus in Medicina, quam in universa Physica  
ducenda omnia esse statuerent. Transeat nunc illa quæstio: in  
quos motus corporis anima sibi imperium vendicet? et si rationi mi-  
nus videatur repugnare, posse aliquem non modo universæ reip. sed  
singulis etiam familiis, imo singulorum hominum saluti & commo-  
dis sapientissime prospicere, ut tamen sibi neque consiliorum suo-  
rum, neque conditionis civium prorsus sit concius, quam animam  
omnes illos infinitos & diversos motus, qui in corpore nostro sin-  
gulis momentis sunt, provido consilio dirigere, quamvis nec in-  
strumenta, quibus ad hoc negotium opus est, nec regulas, secundum  
quas peragi, nec fines, ad quos dirigi omnia debent, norit; que  
ipsam omnia non nosse, h. e. omnium, quæ geruntur in corpore  
nostro, ignarissimam esse, non alio testimonio opus habemus, quam  
quo labefactato omnis veritas dubia redditur, h. e. conscientia no-  
stræ. Posito tamen, omnes motus ab anima dependere, nisi tamen  
quis evicerit, sine idoneis eam instrumentis quemvis motum pro  
arbitrio suo producere posse, neque omnia in C. N. secundum ex-  
quisitissimas motuum regulas fieri, quod fieri plane nequit; aut vi-  
am ostenderit, qua eorum illius consiliorum, quorum sibi prorsus  
non est conscientia, arcana rimari, aut in iis quicquam mutare licet;  
cur illa de corporis mechanismo, quam de anima consiliis & inten-  
tionibus tractatio magis à Medico prætermitti queat, aut cur illa  
prætermitti omnino queat, hæc nequeat, rationem nullam video;  
etsi de mutationibus, quæ in certis casibus in C. N. animæ imperi-  
um vel pathemata sequuntur, tractationem minime prætermittendam  
putem. Hæ vero ipsæ jam factæ cum corpus tantummodo concer-  
nant, & huic soli medelam afferre Medicus possit, non alia princi-  
pia ad easdem explicandas opus habet arcessere, quam hactenus à  
me commendata, h. e. mechanico-physica, siue ex his problema  
resolverit, quæsito satisfecisse existimandus est. Non hæc a me co-  
proponuntur, ut summis Viris, qui aliter sentiunt, contradicendi  
occasionem quaram. Nunquam me inanis ista gloria vexavit. Pa-  
ce tamen illorum mihi licuerit, occasione ita ferente, imo postulan-  
te, principia, quibus theoria medica mihi inniti debere videtur, in-  
dicare, & objectionibus vel suspicionibus, quibus anima prorsus si-  
lentio

Ientio transmissa ansam præbere potuisset, ire obviam. Sed ut illa omnia e Physica, principiis mechanicis nixa, atque Anatomia accessa auxilia, nisi quis utriusque ignarissimus osor sit, theoriam elegantiorem reddere facile largiatur: præter tamen elegantiam nihil prorsus conferre, ad Praxin inepta esse; ipsam quoque theoriam, si arti quidem recte facienda inservire debeat, longe aliis fundamentis superstruendam esse, quidam existimabunt: quorum quoad prius assertum errorem multis argumentis ex ipsa Praxi desumptis evidentissime demonstrare in promtu quidem foret: sed, cum is non nisi ab iis foveri possit, quam qui non satis perspiciunt, qua methodo præstantissimæ multæ veritates ad usum medicum pertinentes a recentioribus repertæ fuerint, quave ratione altera alterius cognitione nitatur, adeoque longam hæc res deductionem postulet, eandem nunc exequi loci hujus angustia vetat. Quatenus tamen de aliis fundamentis, quibus egeat Medicina, a multis dici solet, pauca hic monenda sunt. Id sibi nimur volunt, non ad artem faciendam speculationes sufficere, sed observationem potissimum accuratam phenomenorum in corpore tum sanò, tum ægro, requiri. Recte omnino! Idem vero clamant Philosophi nunc omnes, ac sine observationibus non modo doctrinam de corpore humano, sed universam disciplinam naturalem fabularum complexum esse, docent. Sed quod illi in hac atque etiam in Physiologia una cum multis clarissimis Medicis hactenus laudabiliter annisi sunt, ut observationum atque experimentorum ope has disciplinas emendationes sisterent, in reliquis Medicinæ partibus unice Medicorum, ut qui hanc in se provinciam suscepissent, diligentia id perficiendum reliquerunt. Atque utinam via, quam Philosophi præiverunt, pari in arte nostra industria calcaretur! Non enim alia hic incedendum est, neque nullius usus sunt in hoc itinere, quæ illi Medicis compararunt, sed restat, ut accuratis eorum, quæ in morbis vel sanitate etiam undecunque corpori nostro accidentunt, observationibus parta nobis a Physicis arti facienda aptiora reddantur. Ceterum, qui Physicam nullum Practico præbere usum statuunt, non multum mihi absimiles videntur iis, qui si fabrum aliquem lignarium præstantium, aut nobiliorem quandam Architectum, sed in mathematicis disciplines nunquam versatum, solo usu & imitatione cum sibi acquisi-

visse

visse habitum observant, ut præclarum aliquod ædificium, vel elegans palatium unum vel alterum extruere possint, statim Mathematicorum postulationes vanas esse exclamant; quod in eo, qui Architecti nomen cum laude tueri velit, & Arithmeticæ, & Geometriæ, & Mechanicæ & Opticæ scientiam requirant; cum tamen sine harum disciplinarum principiis plurima ac solidissima pulcherrimaque ædificandi præcepta excogitari non posse, certum sit, & minus in illis versati gravissima sepe in praxi committere peccata, nunc in levissimis hærebo observari soleant. Alterum, quod a Medico requiri dixi, si officio suo primario fungi cum laude velit, in eo præcipue consistebat, ut earum rerum, quarum usus ad vitæ sanitatisque sustentationem atque morborum curationem necessarius est, vires & operandi rationem cognosceret. Multa hic nobis experientiam in ipsis curationibus atque usu quotidiano docere, non inferior; hanc tamen omne negotium confidere, aut parum ei inservire disciplinam naturalem, qui sibi persuadent, næ hi magnopere falluntur. Non urgebo nunc illud ab Hippocrate dictum, quod fallax experientia, & quod sine solidæ theorie corporis humani luminibus methodus hæc cognoscendi remediorum vires maxime infecura sit: et si asserti hujus veritatem abiunde confirmant solæ e. g. illæ quæstiones de China Chinæ, per tot annos non sine vulgi admiratione agitatæ: cum inter Viros in arte expertissimos nondum convenire potuerit, an illa securum in febribus intermittentibus sit remedium, utraque parte, æque interdum frustra, ad experientiam provocante. Quod vero alteram methodum attinet, quæ vires remediorum a priori detegit, unicam nunc saltim Chymiam allegabo; cuius ope non modo ingens novorum remediorum copia a Paracelsi tempore inventa est, & ea nunc sine dubio longe concinniora, quam veteri more præparantur, sed etiam diu jam cognitorum vires felicius subinde explorantur. Hanc tamen ipsam si quis ideo ad Philosophiam naturalem pertinere neget, quod seorsim a reliquis ejus partibus ad nostra fere tempora tractata ea fuit, quique in Chymia paulo magis versati Philosophorum per ignem sibi nomen sumpserunt, nihil fere cum reliquis Philosophis, præter appellatio-

nem, commune habuerunt; cum erroris arguere nunc quidem pa-  
rum referret. Mihi istud potius consideratione videtur dignum,  
quod quamdiu in Chymicorum tantummodo ea manibus fuit, non mo-  
do ingenti obscuritate laboraverit, quam tamen non vitium, sed lau-  
dem illi putant, sed ineptis multis, inutilibus falsisque hypothesibus  
& præceptis fuerit inquinata. Non is quidem ego sum, qui in  
Chymia nostris temporibus clara, certa atque stabilia omnia esse,  
aut Vobis, aut mihi ipsi persuadere cupiam. Utinam vero non lon-  
gissime adhuc ab ista perfectione absit! Qui tamen ad hanc multo  
eam propius accessisse, postquam Boilii, Lemerii, Hombergii, Hof-  
manni, Stahlii, Godofredi, Boulduccii, aliique celebres Physico-  
Chymici ei expolienda, illustranda ac augenda sedulam operam  
navaverunt, non clarissime videat, a Cimmeriis tenebris lucem me-  
ridianam distinguere hunc nescire oportet. Non frustra tanta a me  
nomina allegata sunt, sed ne diu Vobis, nobilissimi Philiatri, cir-  
cumspicienda sint scripta, unde discatis, quantum recentior Physi-  
ca Chymiae studium adjuverit; sed, ut tam feliciter susceptis labo-  
ribus admoniti, conjecturam faciatis, quanta auxilia hoc ab illa ad-  
huc exspectet, & quanta hæc, si quis ei rei manum admoveare & in-  
genium velit, pollicetur. Sed missis medicamentis dispiсiamus,  
quod hic licet, paucissimis de iis rebus, quibus non minus sanitatem  
integra fruentes quam morbis oppressi indigemus; ut quam ubique  
Medico lucem præferat Philosophia naturalis, appareat. Inter il-  
las præcipuum sine dubio momentum trahit aër, ceu sine quo non  
magis vel minimo temporis spatio carere possumus, quam parte  
corporis maxime necessaria. Si vero dixero, omnia, quæ de aëre  
nobis jam nota sunt, sunt autem permulta & præclara, Physicorum  
nos diligentia debere, nihil me illorum omnium non ignaris dictu-  
rum inexpectati puto. Speciminis loco nunc præcipuarum aëris  
proprietatum tantummodo mentionem faciam. Sunt hæc gravitas  
& elater. Non vero solum, eas aëri inesse Physici primi & soli-  
dissime demonstrarunt, sed etiam, quod admirabilius, diversos gra-  
vitatis & elasticitatis aëris in qualibet casu & loco gradus accura-  
te determinare docuerunt. Mirabantur ab initio omnes invento-  
rum

## CUM MEDICINA CONJUNGENDA.

II

rum solertiam & sagacitatem, mox ne illi gloria sua sine invidia fruerentur, auditæ sunt voces, esse has inanes speculations, quæ lusibus equidem aliquibus ansam in collegiis experimentalibus præbere possint, usum de cetero nullum præbeant. Sed his etiam querelis tam egregie satisfecerunt Physico-Medici nonnulli, ut hodie suam in hoc negotio ignorantiam nimis temere auditoribus foret proditurus, qui eas serio repetere vellet. Verfantur in omnium manibus scripta celeberrimorum Medicorum, qui post Ramazimum, Vírum de arte nostra insigniter meritum, accuratas observations barometrico-meteorologicas eum in finem instituerunt, ut constitutionum epidemiarum, & multorum aliorum, quæ ad sanitatem & morbos pertinent, rationes tanto felicius evolverent: hæc contulunt, qui, an aëris consideratio physica momenti aliquid in praxi habeat, ambigunt, & illa si minus exspectationi suæ omni ex parte satisfecerint, discant tamen inde, quomodo Physicæ auxilio tecum hanc inchoatam, nisi pertexendo, at continuando, præclaram sibi & arti præstare rem possint. Mihi nunc id tantummodo addendum videtur, si tantum aër in C. N. influxum habet, ut vitæ nostræ ac sanitatis ratio singulis momentis ab illo immutetur, non alia magis re Medicum conservatoris sanitatis elogium mereri posse, quam si non modo, quis cuique aëris status optime conveniat, dicere, sed etiam, ubi querendus iste sit, determinare, & quem natura negat, arte comparare, ac præcipuum etiam multorum morborum remedium inde arcessere sciāt. Vota hæc esse, non dubito, quin omnes confiteantur; ceterum rationem, cur tantas spes inchoare velimus, nullam esse, multi forte dicant. Sed ut quorundam initium ab excellentibus Physico-Medicis nuper factum esse, præclara habemus testimonia, & sape instrumento barometrico ad illa usos esse in primis Archiatros Pontificios non sine magno Pontificum commodo constat: ita ut reliquis quoque, quæ adhuc super sunt, desideriis aliquando satisfiat, jam pulcherrima jacta esse fundamenta non frustra mihi video per persuasus. Post aërem maximam nobis utilitatem aqua confert. Multum vero interest ad sanitatem recte tuendam diversos bonitatis aquarum gradus accurate distin-

B 2

guere

guere posse; cui rei quam varia subsidia suppeditet Physica, nemini, qui de aquarum proprietatibus judicare valet, dubium erit. Exempli loco illud diversis gravitatis aquarum gradibus dimetendis & contentorum in iis quantitati explorandæ excogitatum instrumentum allegasse nunc sufficiat; quod neque sine sublimioris Physica scientia excogitari potuit, nec nisi ac illius probe gnaro recte quidem adhiberi posse, vano multorum labore didici. Amplam mihi restaret dicendi materia, si ea omnia, quæ vita & sanitati conservandæ idonea sunt, vel hauc varie immutant, vinorum, cœrvisiarum & aliorum liquorum diversa genera, aquarum salubrium varietatem, ea, quæ aër secum vehere solet, vapores, fumos & reliqua attingere vellem. Sed hoc expatriari nunc non licet. Licebit tamen vel obiter saltim mentionem injicere quæstionis, tanto-pere olim & nostris etiam temporibus a Philosophis & Medicis agitata: an & quem astrum, in primis vero luna, influxum in corpus nostrum habeat; ut, quæ supra nos posita sunt, ad nos etiam pertinere pateat. Nemo certe Medicorum ultra sphærā suam problema illud tam esse remotum arbitrabitur, ut suam in medium afferre solutionem non audeat: quam hæc tamen sine Philosophiæ naturalis scientia parum reperiri apta & solida possit, mira, quæ olim in hac re a multis vulgata sunt somnia, & quæ adhuc passim circumferuntur aniles fabulæ, et si, ut eas de hominum pectoribus evellerent recentiores vanitatem hypothesis, quibus illæ nituntur, solidissime coarguerint, neminem dubitare sinent. Sed hac de re conferri potest dissertatio mea: *de influxu luna in corpus humanum.* Superesset, ut quid auxili & lucis Medico Philosophia naturalis præstet in illis negotiis, quæ ad sanitatis conservationem & morborum curationem proprie non spectant, ostenderem: ubi eæ, super quas toto die Medicorum judicia requiruntur, quæstiones de incantationibus, de veneficiis, de diaboli potentia in corpus humanum, de partu leptimestri ac octimestri, de energumenis, aliaeque hujus generis quam plurimæ amplissimo sermoni ansam præbituræ forent. Sed vela nunc contrahenda sunt. Sufficiat mihi, hactenus ostendisse, Medicum non modo sine turpidine Physicæ studium negli-

negligere, sed etiam officio suo primario illa destitutum satisfacere non posse. Subjungam tamen huic discursui Celeberrimi quondam Philosophi, Jo. Christ. Sturmii hac de re judicium: ut videoatis, quam opibus nostris, quas nos quidem contemnendas putamus, invideant illi, qui, quantum earum nobis accessit, tantum de suis detractum esse, probe intelligent. Ita vero is querit: *quid amabo, Medicina supereret futurum, præter meram medicandi ep̄petuā?* si *Physiologiam suam particularem, si anatomicam, botanicam, chymicam suam notitiam, qua re vera partes Physica sunt, si Pathologiam etiam suam sū toti restituere necessum haberent?* Vid. ej. Phyl. hypoth. prælimin. Art. IV. S. 2. quamvis præter hanc divitias a Physica ad Medicinam multas adhuc alias pervenisse ex supra dictis constare queat.

Agite igitur, quotquot Medicinam plene ac solide perdiscere animus est, ut non modo vel ægris vel aliis aliquando aliam methodi medendi rationem, præter miserum istud: Ipse dixit, allegare; sed ipsi etiam ad illam amplificandam conferre aliquid possitis, exceptatiomini mecum in amoenissimum hunc disciplinæ naturalis campum & semina olim fructus uberrimos latura conquirite. Reliquos natalium splendore & varia eruditione ornatos Dominos Studiosos invito, ut miranda summi Conditoris opera mecum contemplari velint, quo Tanti Numinis infinitam sapientiam, potentiam & immensam bonitatem magis magisque in illis cognoscant, & admirentur. Non solam hanc Vobis, quocunque studiorum genus cœlestis, utilitatem, eti maximam, Physica pollicetur. Sed quanta Vestrum res hic agatur, sub ipsum *lectionum Physicarum* auspicium edocebo. Destinavi his hor. V. vesp. & ducis loco compendium Cel. Wølfii. Ceterum ex mathemathicis disciplinis hor. VII. vel quæcunque alia placuerit, *Ariæmet. Geom. & Trigonometr.* explicabo, non defuturus iis, qui alias partes, vel in primis Elementa Math. a Cel. Wølfio latino idiomate edita audire volent. Quod Medicinam attinet, quam præcipue, quantum quidem penes me erit, & ad duclum rationis & experientiæ urgere constitui, jam in Catalogo lectionum *Physiologiam & Hygieinen* hor. X. me traditurum

14 PROGRAMMA DE PHYSICA CUM MEDICINA CONJ.

diturum promisi, sed si nobilissimi Domini Philiatri operam meam in aliis quoque Medicinæ partibus desiderabunt, nunquam illis in me mora ulla erit. Praebit nobis in his lectionibus Venrandus noster Hofmannus. Ad *publicas lectiones*, quibus de *aquis, tam aliis, quam in specie sic diëtis salubribus, ex observationibus physicis & medicis philosophari* hor. II. diebus Lune, Martis & Jovis constitui, invito, quibusunque hæc nosse interest. Adhibeo ubique eam fidem & diligentiam, quam Vestrae omnium, Nobilissimi Domini, utilitati præstari a me decet: Privatarum lectionum B. C. D. d. 16. huj. mens. & publicarum d. 23. initium facturus. Adeste igitur, quotquot libet vel licet, Vestraque meam diligentiam acuite. Ita me benevolentia Vestra trado & commendabo. Dab. Halæ d. 7. Octobr. A. O. R. ciso ioccxxiv.



Ja 1586

ULB Halle  
001 508 687

3



VDN8

St

VDN7



PROG  
**PHYSICA** CU  
CONJU

DOMINOS  
NATALIUM DECORE  
ORNA  
AD LECTI  
HOC SEMESTRI  
INV

D. PETRU  
MEDICINÆ E  
PROFESSO  
D. VIII. OCTOBR. A

HALAE MA  
LITTERIS IOAN. FRID. KRO

